



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Indictio, Acta & Decreta Synodi Diœcesanæ
Paderbornensis**

Diözese <Paderborn>

Nevhvsii, [1688]

Titul. I. De Fide Catholica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36013



E R M A N N U S W E R N E R U S
Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Paderbornensis,
S. R. I. Princeps, Comes Pyrmontanus, & Cathedralis
Ecclesiæ Hildesiensis Præpositus &c. Universis & singulis Abba-
tibus, Præpositis, Decanis, Abbatissis, Prioribus, Archidiaconis, Capitulis,
Conventibus, Cathedralis & Collegiarum, Regularium & secularium Parochialiumq; Eccle-
siarum Rectoribus, totique Clero, Clericis, Notarijs & Tabellionibus publicis quibuscumque
per Civitatem & Diœcesin nostram Paderbornensem ubilibet constitutis salutem in Domino
sempiternam.

Cum hodiernâ die intermissam multis annis Synodum Diœcesanam juxta obligationem
Nostram, ad Gloriam omnipotentis Dei, Beatissimæ Virginis Matris Mariæ nec non Sanctorum
Liborij & Kyliani honorem resumpserimus, speramus fore, ut omnes ex hoc sacro cœtu lumen
& Spiritum ad officia nostra debitè peragenda reportemus, eum in finem sequentes ordinatio-
nes & decreta de Venerabilis Nostrî Capituli assensu ab omnibus imposterum observanda serio
præcipimus.

C O N S T I T U T I O N U M E T D E C R E T O R U M S Y N O D A L I U M D I O E C E S I S P A D E R B O R N E N S I S .

P A R S P R I M A .

T I T U L U S I .

De Fide Catholica.

I.

Quod ad salutem magis necessaria est Fides Catholica, sine qua impossibile est placere Deo ,
Hebr. 11. Eò majore curâ & follicitudine attendendum universo Gregi nostro, ut ante
omnia integrè inviolabiliterque hanc fidem teneat, ab omni alieni dogmatis vel potius erroris
contagione præservetur, & si quæ oves aberrent, ad ovile Ecclesiæ reducantur.

2. Idcirco Exercitum Acatholicum sive privatum sive publicum, insistendo Prædecesso-
rum nostrorum vestigij, nullatenus tolerare volumus in hac Nostra Diœcesi, mandantes serio
Pastoribus sedulam attentionem & vigiliam, ut si qui Prædicantes aut Ministri Acatholicî ir-
reperent & vineam Domini demoliri conarentur, contra ejusmodi, ope Magistratus secularis si-
bi præsto futurâ utantur, Nobisque quantumprimum denuncient.

3. Quamvis Germaniæ status non ferat, ut veteres Canones de vitando hæreticorum
commercio obseruentur, nihilominus Acatholicorum Prædicantium conciones audire, aut
exercitijs eorundem sectæ interesse prohibemus, cum id vel veram simulationem sapiat, vel inde
grave perversio[n]is periculum immineat.

4. Dolendum valde, quod parentes aliqui propriæ & filiorum salutis immemores, filios
suos spe lucri, opificij aut mercaturæ causâ ad loca Acatholica mittant, ubi tales subinde sedem
figunt, & fidem, pro dolor, deserunt, moneant Parochi serio ejusmodi Parentes, ne cum periculo
animæ & suæ & filiorum temporale commodum querant.

5. Sub pœna confiscationis librorum & gravis arbitriæ multæ Typographis & Bibliopo-
lis mandamus, ne ullos Libros imprimant, imprimivè curent, nisi prius à Vicario nostro appro-
batos, aut in hac Diœcesi libros prohibitos aliunde importatos distrahanter.

TI-